OFFICIVM
FESTI, ET INVENTIONIS
SANCTI CATALDI
EPISCOPI, ET CONFESSORIS
Ciuitatis, & Eccleſiæ Tarentinæ Patroni.

Iuſſu Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. D.

BONIFACII CARD. CAETANI
ARCHIEPISCOPI TARENTINI
RECOGNITVM, AC REPVRGATVM.



ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi. M. DC. XV.

SVPERIORVM PERMISSV.


NOS GVLIELMVS SIRLETVS Tit. Sancti LAVRENTII in Pane perna S. R. E. Presbyter Cardinalis, fidem facimus, & atteſtamur S.D.N. Papam GREGORIVM XIII. viuæ vocis oraculo nobis facto, conceſsiſſe, & licentiam dediſſe Archiepiſcopo, & Clero Tarentino, dicendi in Choro, & extra, ſupraſcriptum Officium Sancti CATALDI Epiſcopi, & Confeſſoris eorum patroni, ad formam Romani Breuiarij redactum, & emendatum; tam in Feſto eiuſdem, quàm in Inuentione per totam Metropolim, iuxta antiquam Eccleſiæ Tarentinæ conſuetudinem. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, in loco noſtræ ſolitæ reſidentiæ, V. Nonas Iulij. M. D. LXXX.

Gul. Sirl. Card.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.
Cæſar Fidelis Viceg.

Imprimatur.
Fr. Gregorius Donatus Rom. Lector, & Reuerendiſs. P.F. Hyacinti Petronij Rom. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius, Ord. Præd.

Digitized by Google


SANCTVS CATALDVS EPISCOPVS
TARENTINÆ CIVITATIS PATRONVS
ME TVLIT HYBERNE. SOLYMÆ TRAXERE: TARENTVM
DOGMATA, IVRA DEDI.
cum licentia Superiorum

IN FESTO
SANCTI CATALDI
EPISCOPI, ET CONFESSORIS.
Quod celebratur die viij. Martij.

SI hoc feſtum venerit in feria iiij. Cinerum, vel Dominica prima Quadrageſimæ, vel Paſſionis, trãſfertur in ſequentem diem. Ad Veſperas. Aña. Cataldus præſul inclytus: cum reliquis de Laud. Pſal. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica. In fine Pſal. Laudate Dominum omnes gentes. Capitulum. Ecce ſacerdos magnus. de communi Confeſſ. Pont. Hym.

CATALDVS pudicitiæ
Flos, & candoris lilium,
Sanctitatis & gratiæ
Vas, & honor fidelium.
Splendens doctrinæ radijs
Virginis domum fabricat;
Radiansq. prodigijs
A morte functos reuocat.
Factus is vitæ ſpeculum
In præſulem eligitur:
Pandit ſcripturæ pabulum,
Chriſti fides erigitur.
Gaude Tarenti ciuitas
Tali ditata corpore;
Cuius mira ſuauitas
Infirmos firmat robore.
DEO Patri ſit gloria,
Eiusque, &c.

℣. Amauit eum. ℟. Stolã gloriæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

O virum ineffabilem, quem Saluator alloquitur. O præconem laudabilem per quem fides inſtruitur. Hunc Racuenſis eccleſia Pontificem primum ſuſcepit; quem Tarentina patrem amabilem poſtea complexa eſt. Oratio.

PRopitiare nobis, quæſumus Domine, famulis tuis per beati CATALDI confeſſoris tui, atque Pontificis merita glorioſa: v eius pia interceſſione, ab omnibu ſemper muniamur aduerſis. Pe Dominum noſtrum.

AD MATVTINVM
Inuitatorium.

Regem confeſſorum dominum.

Hymn. Iſte confeſſor. de communi Confeſſ. Pont. Antiphona

Cantemus, & pſallamus in feſtiuitate beati CATALDI: qu fructum dedit in tempore ſuo.

Pſal. Beatus vir. cum reliquis c

communi Confeſs. Pont. Antiph. Dum hic præceptum Domini prædicat Ibernis, CHRISTO credunt quamplurimi; ſignis datis ſupernis. Pſal. Quare fremuerunt gentes. Antiphona. Exaudiuit Dominus ſanctũ ſuum, dum clamaret ad eum: concedens illi & vt languores ſanaret. Pſal. Domine quid multiplicati ſunt.

℣. Amauit eum Dominus.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Lectiones j. Nocturni. Fidelis ſermo. de communi Confeſs. Pont.

j. ℟. Gaude fœlix Ibernia, de qua proles alma progreditur; quæ Tarento ferens præſidia, Bona cuncta ſibi conſequitur.

℣. Fœlix Ibernia, ſed magis Tarentum: quæ claudis in tumulo grande talentum. Bona.

ij. ℟. Sancte CATALDE Confeſſor CHRISTI, audi precantes ſeruulos. Et impetratam nobis cœlitus tu defer indulgentiam.

℣. O Sancte CATALDE vas aureum Domini; ſeruorum tuorum gemitus ſolita ſuſcipe clementia. Et impetratam.

iij. ℟. Beatus CATALDVS glorioſus miraculis, pius in auxilijs, & in DEI miniſterio, Fidelis extitit eccleſiæ Tarentinæ diſpenſator. ℣. Humilis habitu, pius affectu, hilaris vultu, Fidelis extitit. Gloria Patri, & Filio, &c. Fidelis.

IN SECVNDO NOCTVRNO.

Antiphona.

Mirificauit Dominus ſanctũ ſuum, & exaudiuit eum clamãtem ad ſe. Pſal. Cum inuocarem. Antiph. Gloriabuntur omnes, qui diligunt nomen tuum Domine, quoniam tu benedixiſti iuſto. Pſal. Verba mea. Antiphona. Sanctum tuum Domine gloria coronaſti: quem in Confeſſorum ordine tam ſublimiter collocaſti. Pſal. Domine Dominus noſter.

℣. Elegit eum Dominus.

℟. Ad ſacrificandum, &c.

Lectio quarta.

CATALDVS Ibernus oppido Mononiæ Catando, honeſtis parentibus natus, ab infantia DEI præuentus benedictione, ſanctitatis indicia præbuit. Adoleſcens liberalibus diſciplinis eruditus, ad eam breui doctrinæ excellentiam peruenit; vt ad ipſum audiendum Galli, Angli, Scoti, Theutones, alijq. finitimarum illarum regionum quamplurimi Leſmoriã conuenirent. Sed cũ ſcientiarum omnium notitiam, niſi ſincero cordis affectu, puroq. mentis intuitu, ac pietate in DEVM fulciretur, inanem eſſe duceret; totũ ſe ad CHRISTI cultum & imitationem conuertit. Qua in exercitatione tantum profecit; vt breui & Chriſtianis virtutibus clarere, & miraculis coruſcare cœpiſſet. Is enim cum in honorem Beatæ MARIAE, ſumma erga DEI matrem deuotione affectus, Eccleſiam fabricari faceret; puerum, qui in ea ædificatione confractus expirauerat, manu ſubleuauit; & patri viuum,

integrumq. reſtituit. Cuius miraculi fama permotus miles, cui & filius mortuus fuerat, eum quoque ad virum ſanctum (qui tunc forte in imo erat fundamenti Eccleſiæ, quod fodiebatur) detulit. Cui CATALDVS: Numquid DEVS ego ſum, inquit, qui poſſim mortuos viuificare? Cumq. ille perſeuerans feretrum prope foſſam fundamenti poſuiſſet; dum ſanctus terram è fundamento proijcit, puluere cadauer aſperſum ſtatim reuixit. Quamobrem miles illico regem adit, eiq. tantum miraculum nunciat. Qui cum magicis artibus illud tribueret, CATALDVM comprehendi, & catenis vinctum in carcerem trudi iubet. ℟. Hic eſt CATALDVS electus DEI Pontifex: cui Dominus tantam gratiam conferre dignatus eſt, vt in virtute fidei Chriſtianæ mereretur fieri multorum mortuorum mirificus reſuſcitator. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Vt in virtute.

Lectio quinta.

AT noctu duo Angeli per viſum Regi aſtiterunt; vnus ei mortem propter CATALDVM vinctum minitans, alter veniam promittens, ſi Ducatum Meltridis Ducis tunc mortui CATALDO donet. Expergefactus Rex, dum vxori viſum narrat, nuncius mortis Meltridis aduenit. Rei euentu territus Rex, CATALDVM illico ſolui, & ad ſe perduci imperat. Cumq. veniã ab eo petijſſet, eum rogat, vt Epiſcopatum Rachau accipiat; cui & Ducatum Meltridis donat. Itaque Ducatum ſanctus CATALDVS in duodecim Epiſcopatus diſtribuens, de ſuo Epiſcopio Archiepiſcopatum fecit. Cumque vniuerſam Rachau prouinciam ſua prædicatione ad CHRISTI fidem perduxiſſet; Hieroſolymam, vt glorioſum Domini ſepulcrum inuiſeret, profectus eſt. Ibi viſo Domini ſepulcro, & incunabulis, ac ſanctis locis perluſtratis, cum reuerſionem pararet, in ſomnis admonitus eſt, vt Tarentum, vbi PETRVS Apoſtolus, & eius diſcipulus MARCVS primum CHRISTI fidem prædicauerant, proficiſceretur. Diuino igitur iuſſui aſſentiens, nauim conſcendit. In qua nauigatione nautæ extincto, qui altè ceciderat, vitam reſtituit: & maximam tempeſtatem, quam antea prædixerat, oratione ſedauit. Tarentum cum perueniſſet, puellæ mutæ in villa Fellini loquelam, auditumq. reddidit. Cumq. Tarenti in porta cœcus ei à natiuitate occurriſſet, Beatus CATALDVS illum, cuiusnam religionis eſſent illius vrbis incolæ, interrogat. Cui reſpondit cæcus, Patres noſtri olim Chriſtiani erãt: nunc pauci ſunt, qui CHRISTI fidem teneant. Et Sanctus CATALDVS, Tu, fili (inquit) Chriſtianus ne es, an Paganus? At ille. Nunquã me aliquis, here, CHRISTI fidem docuit. Cui Sanctus CATALDVS: Si toto corde cre-

dideris in DEVM Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; & eo nomine baptizatus fueris; accipies illico corporis, & animæ claritatem. Reſpondit cæcus: Credo, Domine; feſtina me baptizare. Et Beatus CATALDVS, accepta aqua, eum baptizauit. Qui ſtatim viſum recepit. Is cum homines vidiſſet, compellare eos cœpit; Venite (inquiens) & videte hominem, qui ſacro baptiſmate lumen mihi præſtitit oculorum. Quò cum plurimi conueniſſet, Beatus CATALDVS ordinè cœpit illis CHRISTI fidem explicare, quam olim PETRVS Apoſtolorum Princeps & MARCVS eius diſcipulus in eadem vrbe prædicauerant. Et cum hominum multitudo in dies ex finitimis ciuitatibus Tarentum ad ſanctum CATALDVM veniret, eius doctrina, & miraculis permoti quāplurimi baptiſmi ſacramentum ſuſceperunt. ℟. Oritana priuata lumine, Sanctum precans ſingultu flebili, leuem ictum ſentit in capite; & mox oculorum pulſa caligine. Viſum illa recipit modo mirabili. ℣. Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit eliſos. Viſum illa recipit.

Lectio ſexta.

ITaque breui ſanctus Epiſcopus eam vrbem ad CHRISTI cultū perduxit. Clerum ibi inſtituit. Presbyteros, Diaconos, & aliorum Ordinum clericos per oppida, & villas ordinauit. In Eccleſia aſſiduus erat. Viduis, pupillis, oppreſſis, & miſeris omnibus, ope, conſilio, non deerat: cum tamen propterea à prædicatione verbi DEI, & oratione nunquam ceſſaret; ſeque totum omni ſolicitudine & charitate curæ paſtorali impenderet. Igitur cum diu illi Eccleſiæ præfuiſſet, & aliquando, infirmitate correptus, ſui corporis diſſolutionē imminere cognoſceret; conuocatis clericis, alijsque probatis viris, ſic eos allocutus eſt. Scitis, Fratres chariſſimi, me non fortuitu ad hanc Vrbem applicuiſſe. ſed cum eſſem Hieroſolymis, dignatus me eſt Dominus meus IESVS CHRISTVS alloqui, & in mandatis mihi dare; vt ad hanc vrbem, vbi Apoſtolus eius PETRVS, vnà cum MARCO eius diſcipulo fidei fundamēta iecerat, me conferrē. Parui mandatis. Veni in hanc vrbem; priſtinam Apoſtoli fidem iam abolitam, Domino cooperante, reſtitui. Non ceſſaui Chriſtianis præceptis vos imbuere; & in ſancta conuerſatione, forma gregis factus, detinere. Nec quidquam ſubterfugi, quominus viam Domini demonſtrarem vobis. Et nunc ſcio, quod poſt mortem meam inuadent vos hæretici lupi rapaces, deuaſtantes gregem. Aduerſus huiuſmodi accingite vos: ſumentes arma iuſtitiæ, & ſcutum fidei, quod eſt verbū DEI. Poſt diſceſſum meum, plebem in fide, quam illos PETRVS Apoſtolus docuit, confirmate, memo-

res laborum & vigiliarũ mearum. Diligite alterutrum,& in charitate perfecti eſtote. Corpuſculum meum, cum mortali hac vita functus fuero, in loco ſancti IOANNIS in Galilæa maioris Eccleſiæ, Orientem verſus, ſub terra Chriſtiano more ſepelite, futuræ illud reſurrectioni reſeruantes. Hæc dixit, & ſumptis omnibus, quæ decedentibus conferri ſolent, ſacramentis, beata illa anima, carne ſoluta eſt octauo idus Martij. Deductoq. ad Eccleſiam corpore, magnus eò concurſus factus eſt populi, & omnis generis languidorum; qui omnes tactu ſancti corporis curabãtur. Celebratis deinde diuinis officijs, in loco per ipſum ſub terra deſignato honorifice conditum eſt, cõſtructo deſuper miri operis marmoreo ſepulcro.

℟. Iſte eſt, qui ante DEVM magnas virtutes operatus eſt; & Tarentina ciuitas doctrina eius repleta eſt. Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. CATALDVS Epiſcopus migrauit à ſeculo: cælum lætus ingreditur. Ipſe intercedat. Gloria Patri,& Filio,&c. Ipſe intercedat.

IN TERTIO NOCTVRNO.

Antiphona.

Hic viuens ſine macula nil carnale concupiuit: idcirco tabernacula cæli lætus adiuit. Pſal. Domine quis habitabit. Antiphona. Magna eſt gloria eius in CHRISTO ſalutari ſuo; cuius præuentus grãtia meruit exaltari. Pſal. Domine in virtute tua. Antiph. Innocens iſte manibus fuit, & ſine dolo; quia totis affectibus intentus erat polo. Pſal. Domini eſt terra. ℣. Tu es ſacerdos in æternum. ℟. Secundum ordinem.

Lectiones tertij nocturni de homilia S.Hilarij Epiſc.in Euangelium Vigilate,quia neſcitis,&c. de communi Confeſſ. Pont.

vij. ℟. Cum quædam mulier diuturnis brachiorum doloribus laboraret; vt ad beati viri corpus acceſſit, Mox ſalua facta nomen Domini glorificauit. ℣. Lyciana quædã paupercula,languens morbo frenetico, ſancti ſepulcro dum fixit oſcula, Mox.

viij. ℟. Ecce ſacerdos magnus,qui ab adoleſcentia ſua meruit infirmos curare. Dedit illi Dominus mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, & dæmones effugare.

℣. Multi, qui ſpiritus habent immundos, ſalutem ad ſepulcrum eius conſequuntur. Dedit illi. Gloria Patri. Dedit.

Ad Laudes, & per Horas. Aña.

CATALDVS, præſul inclytus cæleſti dõno præuẽtus, ab infantia placuit DEO, & inuentus eſt iuſtus. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis de Dominica. Aña. Fultus CHRISTI præſidio ſcientia excelluit; & conſeruans legẽ excelſi, miraculis coruſcauit. Aña. Factus Põtifex creuit in plebem ſuam; & viſo Domini ſepulcro Tarentum aduenit.

Aña.

Ant. Reduxit populum ad CHRISTI fidem, & clericos ordinauit, qui Domino benedicerent in æternum. Antiphona.
Migrans è mundo ſeruus fidelis Tarenti ſepelitur, qui intrauit in gaudium Domini ſui.
Capitulum. Ecce ſacerdos magnus. Hymnus.

Pange lingua mirifici
Confeſſoris præconium;
Qui nos prece multiplici,
Ducat ad cœli gaudium.
CATALDVS, cuius hodie
Recolitur memoria,
Iam reuelata facie
Regem cernit in gloria.
Hic mortuos reſuſcitat,
Viſumq. cæcis tribuit;
Hic dæmones ſuppeditat,
Linguas mutorum acuit.
Quæ vox, quæ lingua promere
Tot admiranda ſufficit?
Nam verſu cuncta ſtringere
Vox inexperta deficit.
Deo Patri ſit gloria, &c.

℣. Iuſtum deduxit Dominus.
Ad Benedictus, Antiphona.
Tantus odor ex viri Dei membris egrediebatur, vt ad illa, tanquam ad ſuauiſſima aromata, omnis populus accurreret Tarentinus.
Oratio, vt ſupra in Veſp.
Ad Horas omnia de communi Confeſs. Pontif.
Ad Veſperas Añæ. de Laud. Pſal. de communi Confeſs. Pont.
Cap. Ecce ſacerdos magnus.
℣. Iuſtum deduxit. de eodem cõi.
Ad Magnificat, Antiphona.
CATALDE ros & lilium, fons veræ ſapientiæ, mirande flos conuallium, implora regem gloriæ: vt poſt præſens exilium, iam reuelata facie cernamus DEI filium.
Oratio, vt ſupra.

IN FESTO
INVENTIONIS S. CATALDI
EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

Quod celebratur die X. Maij.

SI hoc feſtum venerit in die Aſcenſionis, trãsfertur in ſequentẽ diem, cũ comm. octauæ Aſcenſionis: & in ſecundis Veſp. Aſcenſionis fit tantùm commem. S. CATALDI. Die vero octaua fit officium octauæ Aſcenſionis, cũ commem. S. CATALDI. Si venerit in vigilia, vel infra octau. Pentecoſt. transfertur poſt feſtum Trinitatis. In Inuentione corporis S. Cataldi, omnia dicuntur vt ſupra in feſto eiuſdem, præter lect. ij. n. ct. quæ dicuntur vt infra. Pſalmi nocturnorum

norum dicuntur ſub vna Aña.& in fine Ant. Verſ.& Reſp. dicitur: **Alleluia.** vt in tempore Paſch. & ad Laud.tantùm fit commem.SS.mar. Gordiani & Epimachi. Lect.iiij.

CVM Drogonus Archiepiſcopus Tarentinus cathedralé Eccleſiam Tarẽti vetuſtate collabentem, vt nouam erigeret, diruiſſet; quidam opifex fundamentum effodiens, attigit ſepulcrum marmoreũ, vnde mira odoris fragrantia emanabat. Quod cum ille Archiepiſcopo denuntiaſſet; præſul cum clero, & populo ad locum properat; ſumptoq. ligone, ſepulcrum aperit: ex quo qui aderant ſuauiſſimo omnes perfundũtur odore, & ſacras cernunt reliquias rubicundiores ebore antiquo; aureamq. crucem, in qua ſancti Præſulis nomen erat deſcriptum, inueniunt. Lectio v.

ITaque indicitur proceſſio, luminaria deferuntur, & diuerſi generis concremãtur aromata. Sed fragrantia è reliquijs prodiens ſuperabat omnia. Pontifex igitur ſacras reliquias collegit: & ſepulcro marmoreo inde amoto, decenti in loco ſub maiori Eccleſiæ altari collocari fecit; vbi reuerenter ſanctiſſima oſſa recondidit. Aduolat interim huius inuentionis fama; & cateruatim multitudine illuc languentium accurrente, antiqua miracula renouantur. In quibus, mulier brachijs arida, Beneuentanus quidam paralyſi laborans, & adoleſcens omnium membrorum officio deſtitutus, vt ſacrum ſepulcrum tetigerunt, integram ſanitatem acceperunt. Alia quoque mulier muta noctu ad ſepulcrum vigilans, loquelam auditumq. recepit. Lectio vj.

DEinde anno ſalutis millesimo centeſimo quinquageſimo, indictione decimatertia, Eugenio tertio ſummo Pontifice, & Rogerio Siciliæ Rege, Geraldus Archiepiſcopus Tarentinus, cum honorificẽtius S. CATALDI reliquias aſſeruari cuperet; capſam argenteam, vbi conderentur, Saluatoris, ſanctorum Angelorum, ac duodecim Apoſtolorum imaginibus inſignitam (in qua de ligno Crucis Dominicæ particulã auro tectam, gemmiſq. ornatam poſuit) elaborari fecit. Indicto itaque ieiunio, ac ſexto Idus Maij tranſlationis die; Geraldus Archiepiſcopus vnã cũ Coëpiſcopis Suffraganeis ſuis, vniuerſo clero & populo, ad Eccleſiam veniens, ſepulcrum ſub altari maiori aperit: & ſanctum corpus extrahens, in capſa argentea cum hymnis & canticis ſpiritualibus, tota perſonante, & ouante Eccleſia, recondidit. Vbi plurima miracula DEVS per Sanctum ſuũ eo tempore operatus eſt. Nam & cæcis viſum, ſurdis auditũ, mutis loquelam, paralyticis, leproſis, & alio morbo laborantibus quamplurimis ſanitatem reſtituit; obſeſſos à dæmone liberauit; opem in

mari

ꝛari periclitantibus, & in pericu- ꝛ vitæ conſtitutis, in neceſſitati- ꝛus præſtitit: & in dies ſecundum rcdentium fidem præſtat; per CHRISTVM Saluatorem noſtrum; cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

In iij. noct. Hom. in Euang. Vigilate. de communi Confeſs. Pont.

Lect. ix. dicitur de ſanctis Gordiano, & Epimacho, vt in Breuiario.

INFRA OCTAVAM
Inuentionis Sancti Cataldi.

DE hac octaua nulla fit in die Aſcenſionis, aut in triduo Pentecoſtes commemoratio. Fit tamen eius commem. infra prædictorum feſtorum octauas.

Ipſa vero dies octaua feſti ſi incurrat in diem Aſcenſionis, fit de octauá commemoratio, Si infra octauá Aſcenſionis, vel in feriam ſextam poſt eandem octauam, officium fit duplex de octaua feſti, cum comm. octauæ Aſcenſionis, vel dictæ feriæ ſextæ. Si in Vigiliam Pentecoſtes fit tantum com. dici octauæ: præterquam in primis Veſperis Pentecoſtes. Poſt triduum Pentecoſtes, in quamcunque eius hebdomadæ diem hæc octaua dies incidat, fit tantum de octaua huius feſti commemoratio.

SECVNDA DIE.

Infra octauam.

In primo noct. leguntur lect. de Scriptura occurrente in officio de tempore.

In ij. noct. Sermo S. Maximi Epiſcopi, Ad Sancti, ac beatiſſimi, de communi Confeſs. Pontific.

In iij. nocturno Hom. vt infra.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij.

IN illo tempore. Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis, Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Hom. 78. in Matth.

NOn dixit ſe neſcire, ſed quia ipſi neſciunt. Ita tamen eos ad ipſam penè horam deduxit, atque ſtatuit; & curioſiores eos reddere cupiens, ab interrogãdo auocauit, Vigilate, dicens: vt oſtenderet hac ſe de cauſa dicere noluiſſe. Propterea igitur hæc dicit ipſis vt vigilẽt, vt iugiter parati ſint; quia qua non exiſtimant hora venturus eſt. Solicitos igitur facit, & curioſos, ne vnquam virtutem negligant. Lectio viij.

TAle quid autem eſt quod dicitur. Si præſcirent homines quando morituri ſunt, diligentiam ſuam circa illam horam oſtenderent. Ne igitur in illo ſolummodo tempo-

tempore, ſed continuè diligentes ſint, nec generalem, nec ſingularem horam prædicit: vt ſemper expectando, ſemper vigilent.

Lectio ix.

HAec autem ad erubeſcétiam deſidiæ mihi dicta videntur. Maiorem enim diligentiam habét pecuniarum conſeruandarũ furem expectantes, quàm vos ſalutis animæ. Vigilant enim tunc, ne aliquid ſibi ſurripiatur. Vos verò, quamuis certo ſciatis venturum dominum, non perſeueratis tamen: neque ita vigilatis, vt poſſitis nõ impræparati ex hac vita diſcedere. Quapropter cum pernicie dormiẽtium dies ille venturus eſt. Nam quemadmodum non læderetur ille furto, ſi furem ſciret venturum; ſic & vos, quoniã ſcitis Dominum venturum, paratiores eſſe debetis.

In Veſperis à Capitulo fit de Sanctis Nereo, Achilleo, Domitilla, atque Pancratio, cum commemoratione octauæ.

TERTIA DIE.

SI feſtũ SS. Nerei, & ſoc. venerit in Dom. transfertur poſt oct. Si in die Aſcenſionis, aut in Vigilia, vel hebdomada Pentecoſtes, transfertur poſt feſtum Trinitatis. Ad Matutinum lectiones primi Nocturni de ſcriptura occurrente. Secundi nocturni de SS. Nereo, Achilleo, Domitilla, atque Pãcratio. In tertio noct. Homilia in Euang. Erat quidam Regulus &c in Breu. In Laudibus fit commemoratio octauæ S. CATALDI.

QVARTA DIE.

In ſecundo nocturno.

De ſermone S. Maximi Epiſcopi.

Lectio quarta.

DVplici enim ex cauſa vtilius eſt hominũ magis memoriæ laudẽ dare, quàm vitæ; vt illo potiſſimum tempore merita ſanctitatis extollas, quando nec laudanti adulatio noceat, nec laudatum tentet elatio. Lauda ergo poſt periculum, prædica ſecurum; lauda nauigantis fælicitatem, ſed cum peruenerit ad portum; lauda ducis virtutem, ſed cum perductus eſt ad triumphum. Lect. v.

QVis autem viuẽs tutò poſſit, ac ſine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit ſe habere quod doleat, & de futuro videt ſibi ſupereſſe quod timeat? Quid verò in hoc corpuſculo poſiti debeãt ſibi quidquam vindicare de meritis, quos iterũ Dæmonum infeſtatio, velut latronum obſidet multitudo? quibus per omnes vias ſupplantatores inuiſi animarũ laqueos tẽdunt, innumerabiliũ morcibus expaueſcendos? Lect. vj.

NAuigantibus enim nobis per hoc mare magnũ, & ſpatioſum, in quo ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; animalia puſilla & magna, ideſt diuerſa genera inimicorum, qui ſecũdum noſtrarum virium quantitatẽ compenſato nobiſcum agone luctãtur, occurrunt. In huius mundi itaque pelago valdè nobis pertimeſcendum eſt, ne nauem noſtram aut procella tem-

peſtatis

peſtatis abripiat, aut fluctus abſorbeat, aut in æternam prædã pirata crudelis abducat. Aduerſus hæc ergo multiformia ſeculi mala, caſtigatis ac caſtis actibus reſiſtamus.

In iij. noct. De homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. Lect. vij.

CEterum quoniã iudicij mentionẽ fecit, ad doctores etiam vertit orationem, de pœna & meritis differens. Et primo bonis collocatis, ad peccatores exitum facit; commodiſſime orationẽ concludens. Quis ergo (inquit) fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Dic quæſo, num & hoc ignorantis eſt? Nam ſi, quoniam nec filium ſcire dictum eſt, ignorare ipſum affirmas; quid modo dices, cum dubitando dicere videatur, Quis igitur fidelis ſeruus? An & hoc ipſum ignorare confinges? Nequaquam. Nullus enim niſi mente captus id diceret. Atqui cauſam de illo dicere poſſumus, de hoc verò nullam.

Lectio octaua.

QVid porro, quando interrogando dicit, Petre diligis me, neque illud ſciebat? aut quando quærit, Vbi poſuiſtis eum? Ego verò etiam Patrem ita loquẽtem inuenio. Ipſe enim eſt qui dicit; Adã vbi es? Et clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt apud me. deſcendens igitur videbo, ſi ſecundum clamorem venientem opera fiant; ſi autem non ita, vt cognoſcam. Et alibi; Si fortè audierint, Si fortè intellexerint. Et in Euangelio, Verebuntur fortaſſe filium meum. Quæ omnia verba, quamuis ignorationem ſignificẽt; non ignorans tamen, ſed, vt eum decet, diſpenſans ita dicebat.

Lectio nona.

DE Adã enim illo modo quæſiuit, vt in accuſationẽ peccati eum induceret. De Sodomis autem ita locutus eſt, vt nos erudiret, nihil antea eſſe determinandum, quàm ad rem ipſam certius peruenerimus. Per Prophetam autẽ ambiguè loqui videtur, ne prædictio apud imperitos inobedientiam neceſſariò facere videretur. In Euangelio vero oſtendere voluit, quia reuereri filiũ debuiſſent. Hoc autẽ loco interrogat, ne rurſum curioſius perſcrutarentur: & vt rem eſſe raram, & admodũ pretioſam oſtenderet. Expẽde autem qualem hæc verba ignorantiã ſignificare poſſint: ſiquidẽ à ſe conſtitutum ſuper familiã ignoraret.

In Veſperis fit comm. S. Bonifacij Martyris, prout in Breuiario.

QVINTA DIE.

In ſecundo nocturno.

De Sermone S. Maximi Epiſcopi. Beati patris, &c. vt in communi Confeſs. Pont.

In iij. noct. De Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. Lect. vij.

PRæterea beatificat quidẽ eum, Beatus enim, inquit, ſeruus ille: quis verò ſit, ſilentio tradidit. Quis enim eſt, ait, quem conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam? quem

quem inueniet ſic facientem. Hæc non de pecunijs ſolùmodo, verùm etiam de verbis, de virtute, de omni diſpenſatione ſingulo homini conceſſa dicta ſunt. Hæc parabola, vel ad gerentes, gubernantesque rempublicam accommodari poteſt. Lect. viij.

DOcet enim vnũquemque ad communem vtilitatẽ omnia conferre quæ ſua ſunt, ſiue ſapientiam, ſiue principatũ, ſiue diuitias, ſiue quicquid aliud: non ad detrimentum conſeruorum, nec ad perditionem ſuã. Quapropter vtrumque ab eo flagitat; prudentiam ſcilicet, atque fidem. Delicta enim ab amentia originem habent. Fidelem igitur appellat, quoniam nihil ex rebus domini ſibi attribuit, nec incaſſum quidquam expendit.

Lectio ix. de S. Bonifacio Martyre. vt in Breuiario.

SEXTA DIE.

De Sermone S. Maximi Epiſcopi.

Lectio iiij.

TVnc in alia parte, ea quæ aperuerat, ſalubritate claudebat: ne eis res aliena concupiſcibilis appareret; ne interiori homini maculam exterior culpa tranſmitteret; ne ad cor tenebræ per vias lucis intrarent; ne in vnoquoque prophetica illa interminatio cõpleretur: Mors (inquit) intrauit per feneſtras veſtras. Miniſteria enim aurium & oculorũ, feneſtræ eſſe probãtur animarum. Quando enim aperimus auditum mala, & iniqua loquentibus, ac damnabiliter obtrectantibus, & quæ DEO ſunt contraria ſuadentibus, mors intrat per feneſtras noſtras, horror mortiferæ noctis irrumpit, per quas Sol iuſtitiæ intrare debuerat. Quando iſtæ peccati feneſtræ apertæ ſunt, ianua ſalutis, & vitæ, ac portæ paradiſi clauſæ ſunt.

Lectio v.

HAs iſte vir beatus feneſtras multis ſeris diuini timoris obſtruxit. De quãtorum cordibus, quos inhoneſta iniquitas, & impietas poſſidebat, fugauit luxuriã, deiecit iram, & extinxit inuidiam, & velut de antiqua domo barbaris hoſpitibus proturbatis, reuocando illuc fidem, caſtitatem, iuſtitiã, miſericordiam, habitatores pacificos intromiſit, per quos in domicilium mentis caput horum bonorũ Chriſtus intraret? & appoſitis pœnitentiæ medicamẽtis, velut quatriduanum fœtentẽ increpationũ fremitu ſuſcitabat, &, emendatione ſuſcepta, de medijs mortis faucibus eru tos temporaria reſurrectione vitæ reſtituebat? Lect. vj.

HAec itaque, atque huiuſmodi plura gerens, quæ proferre per nos, atque expedire vt dignũ eſt, non poteſt ſermo pauperculus, melius vobis ea veſter dicet affectus. Summæ enim alacritatis inſtãtia fuit cultor, & cuſtos animarũ, cupiditates reſecans, iras comprimens, malitias extirpans. His etiã magis vir iſte temporibus neceſſarius fuit; quibus tanta iniquitas ſumptis quotidie, deficiente iu-

ſtitia, viribus conualeſcit. Et quidem ille in hac peregrinatione ſolo corpore cõſtitutus, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuerſatus eſt: & quaſi bonus ratiocinator, velut ad centuplũ manum porrigens, ſemper de ſiniſtra tranſmiſit ad dexteram; & in cælo repoſuit ſudores ſuos. Nam etſi hic opera eius videntur, illuc operum merita tranſierunt. Illius ergo, inquantũ poſſumus, veſtigijs inſiſtamus: quibus per illam nimis arctam viam ad cæli ampla feſtinãs, quà eum ſequeremur, oſtendit.

In iij. noct. De homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. Lect. vij.

PRudentem autẽ appellat, quia opportune diſpẽſare nouerit: Siquidẽ vtraque re nobis opus eſt; ne ſcilicet quæ Domini ſũt ad proprios vſus rapiamus; & vt opportunè omnia diſpenſemus. Nam ſi alterum horum abſit, eius abſentia alterũ omnino claudicat. Si enim fidelis ita ſit, vt nõ furetur, diſperdat autẽ, non neceſſario cõſumens impendio; non paruum id crimen eſt. Sin verò è contrario rectè diſpẽſet, ſibi verò accumulet, ingens rurſus hæc culpa. Lectio viij.

AVdiamus etiã, qui pecunioſi ſumus. Non enim doctoribus hæc ſolùm, ſed diuitibus etiam dicit; cum vtriſque Dominus diuitias ſuas crediderit: maximas quidem doctoribus; ſed locupletibus etiam non paruas. Si ergo docentes, maiores diuitias ſeminent, atque diſpergant, vos autem nullã in mi...ribus liberalitatẽ oſtendatis (cur liberalitatem, & non gratitudinem dixi? non enim veſtra, ſed aliena tribuitis) quænam vobis futura eſt excuſatio? Lect. ix.

SEd interim, antequã de punitione dicatur, approbati præmia ſerui qualia ſint audiamus. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eũ. Quid hoc honore maius? quæ oratio hanc dignitatem, hanc beatitudinem aſſequi poterit; cum cælorum conditor, cui omnia ſeruiunt, hominẽ ſuper omnia bona ſua conſtituturus eſt? Propterea & prudentem eum appellauit, quia nouit magna pro paruis perdenda non eſſe: quia moderatè vitam hic peragens, cælos conſecutus eſt.

SEPTIMA DIE.

In ij. noct. Lect. S. Ioannis Chryſoſtomi. Beati Cataldi cuius hodie. vt in communi Confeſs. non Pont. In iij. noct. repetantur lectiones De homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. vt ſupra in ſecunda die.

IN DIE OCTAVA.

In die octaua omnia dicuntur ſicut in die feſti Inuentionis:

PRima die cuiuſque menſis nõ impedita Officio nouem lectionum, nec Feſto ſimplici, nec ſabbato B. MARIAE, nec Vigilia, nec feria Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & quando Reſponſoria ſunt primò ponẽda, nec infra oct. Paſchæ, & Pentecoſt. fit officium S. CATALDI, de Communi Confeſs. Pont. ſicut in feſto ſimplici, cum Noct. feriæ currentis de Pſalt. & tribus lect. prima, & ſecunda de tempore. tertia de Sermone S. Maximi, & S. Ioan. Chryſoſt. per ordinem, vt inf. oct. ponuntur, & cũ Orat. propria.

MIſſa tam in feſto, quàm in alijs diebus dicitur, Sacerdotes tui Domine de communi Confeſs. Pont. mutata tantùm prima oratione, cuius loco dicitur propria, quæ habetur in eius eſt

ROMAE, Apud Iaco[...]ardum. MDCXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google